DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... A MARCH. JO...

Joannes Baptista : de Abdua, Valenti Gonzaga

Sanctiſſimo Domino Noſtro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

JOANNES BAPTISTA DE ABDUA

FELICITATEM.

QUÆ *nuper de* TRINITATE *in Sacello tuo*, BEATISSIME PATER, *a me recitata eſt Oratio, poſtquam Te auditorem non habuit, audet nunc* SANCTITATIS TUÆ

pedes adire fortaſſe lectorem habitura. Nec vereor, quin eam ſis æquo, libentique animo excepturus. Sæpe enim accepi a ſodalibus meis, quanta ſemper fueris facilitate, & humanitate erga illos, qui præteritis ab hinc annis Tibi hujuſmodi Orationes obtulerunt. Num vero hæc digna oculis tuis ſit futura, quoadme metuo quam vehementer. In hac oſtendendum ſuſcepi TRINITATIS MYSTERIUM *in primis Sanctæ Scripturæ verbis inſinuari. Cui rei occaſionem dedit fortuita quorumdam veterum Philoſophorum lectio, qui de Deo diſputantes non modo unum eſſe, ſed etiam trinum affirmant; ita ut Plato in uno Deo tres Reges diſtinguat, & Plotinus tres Hypoſtaſes numeret, imo librum unum de tribus Hypoſta-*

ſibus

ſibus ſcripſerit. Quæ omnia cum legerem, primo admirari; dein iterum, iterumque diligentius perlegere; ſcrutari poſtremo, ac mecum ipſe perpendere, quomodo ad hanc cognitionem potuerint devenire. Nam TRINITATIS *arcanum, ut inquit* Bernardus*, nec ab Angelis, nec ab hominibus, niſi* Spiritu Sancto *revelante cognoſcitur. Tandem conferens tempora, quibus vixere, facile reperi potuiſſe ad ipſos Sacræ Scripturæ libros pervenire, ex quibus aliquam* TRINITATIS *ideam colligerent; imo pro certo perveniſſe: nam plura habet* Plato*, quæ ſunt a libris Moyſis omnino deſumpta. Cum percurrerem itaque ea veteris Teſtamenti loca, in quibus aliquo modo* TRINITAS *enunciatur, prima Ge-*

 neſis

nesis verba occurrerunt, in quibus tam expressum esse hoc Mysterium *visum est mihi, ut, cum de* TRINITATE *aliquid mihi dicendum fuerit, id præsertim pro argumento meæ* Orationis *elegerim, quæ qualiscumque ea sit; ante tuos pedes jam sistitur, non ut eam multi facias, rogans; sed humiliter, enixeque petens a* Deo Optimo *Maximo, ut Tu in annos plurimos vivas; a* Te, *ut velis mecum una totum* Col*legium tuarum virtutum observantissimum, tuo favore ornatissimum, cui etiam* Pronepotem *tuum credideris, maximo semper tuo* Patro*cinio, atque Apostolica* Benedictione *dignari.*

ORA-



ORATIO.

DE Ineffabili TRINITATIS Mysterio cum jubear dicere, BEATISSIME PATER, licet me non parum deterreat authoritas loci, brevitas temporis, rerum difficultas; attamen tanta est totius Ecclesiæ in hac Solemnitate lætitia, ut cum illa nequeam non lætari. Quæ hodierna die merito exultat, cum illud Mysterium celebretur, quod (ut taceam, esse illustrius suæ fidei argumentum, & fundamentum ipsius) ita super omnia acce-

ptum eſt Deo, ut in ipſa fronte Geneſeos hoc ſtatim hominibus inſinuaverit.

Quid enim ait? (*a*) In principio creavit Deus cœlum, & terram; & poſt pauca: Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Quæſo ad ea prius, quæ de Perſonarum TRINITATE in novo teſtamento tradita ſunt, breviter intendamus. Inquit Joannes, (*b*) qui tanquam Aquila in ſuperna volat, & pervenit uſque ad Patrem: (*c*) Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. Ex quibus verbis clare patet, tres in uno Deo diſtinctas Hypoſtaſes reperiri; quod etiam docet Veritas ipſa ad Apoſtolos dicens: (*d*) Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Verum hæc eadem TRINITAS perſonarum etiam initio Geneſis inſinuatur. Nam dicente ſcriptura: In principio creavit Deus cœlum, & terram; nomine Dei, ut inquit Auguſtinus, (*e*) intelligimus Pa-

trem;

(a) *Gen. c. 1. v. 1.* (b) *S. Hieron. cont. Jov.* (c) *Joan. Epiſt. 1. c. 5. v. 7.* (d) *S. Matt. c. 28. v. 19.* (e) *de Gen. ad lit. lib. 1. c. 6.*

trem; nomine Principii intelligimus Filium, qui non quidem principium eſt Patris, ſed principium omnium creaturarum; Subjungente autem: Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas, completam TRINITATIS commemorationem agnoſcimus. Nec mirum alicui videatur, Filium Principii nomine intelligi; Nam, ut omittam ab aliquibus *(a)* legi in Sapientia, hoc eſt in Filio; *(b)* Sapientia enim Dei filius ejus unigenitus dicitur; & abſolute legi ab Hilario: *(c)* in Filio creavit; ipſe Dominus ſe eſſe Principium pluribus locis affirmat. Ego Principium, & finis, inquit in Apocalypſi *(d)*; & in Evangelio *(e)* Judæis ſciſcitantibus, quis eſſet, reſpondit: Ego Principium, qui & loquor vobis. Denique per os David: *(f)* In capite libri ſcriptum eſt de me. Quod verum non eſſet, ut notat Hieronymus, *(g)* ſi initium Geneſis de Verbo non loqueretur. Quoad Hypoſtaſes igitur in illis verbis

TRINI-

(a) *Targum Hier.* (b) *S. Aug. de Trin. lib. 14. c. 1.* (c) *De var. verſion. Bib. Joan. de la Haje.* (d) *c. 1. v. 8.* (e) *Joan. c. 8. v. 25.* (f) *Pſ. 39. v. 8.* (g) *In QQ. Heb. in Gen.*

TRINITATEM insinuari jam videtis. Sed si ea diligentius perpendantur, etiam quo ad Personarum attributa esse expressam patebit.

Atque ut a prima Persona exordiar, scilicet Patre, cui dubium est illi omnipotentiam assignari? Itaque cum Deum omnipotentem quis dixerit, Patrem intelligimus. Sed hoc idem attributum non ne de ipso enunciatur in illis verbis? Creavit Deus cœlum, & terram. Nulla enim perspicua magis ratione Deus & dici, & probari videtur Omnipotens, nisi quia Creator. Hinc recte Apostoli (*a*) cum, de Patre quid sit credendum, proponunt, Omnipotentem simul, & Creatorem appellant.

Si vero de Filio loquimur, quid de illo tradit Evangelium, quod in Genesi fere non tradatur? Inquit Joannes: (*b*) Per ipsum omnia facta sunt; & sine ipso factum est nihil. Inquit etiam Moses: (*c*) In principio creavit Deus cœlum, & terram:

(a) *Simb. Apost.* (b) *c. 1. v. 3.* (c) *Gen. c. 1. v. 1.*

ram: et ſi ex primo arguitur, Filium eſſe Sapientiam Patris, quia nihil a Patre niſi per Sapientiam, & in Sapientia eſt conſtitutum; idem etiam arguitur ex ſecundo.

Denique quid convenientius dici potuit, ut Spiritus Sanctus, qui Amor dicitur, oſtenderetur, quique, ut legitur in Evangelio, nunc (*a*) in Virginem deſcendit, & illam fæcundat; nunc (*b*) columbæ ſpecie ſuper Filium manet; nunc (*c*) in Diſcipulos tanquam ignis deſcendit, & illos inflammat, quam illud: Ferebatur ſuper aquas? Idem enim ac dicere, ut ſacri Interpretes vertunt, (*d*) incubabat, (*e*) confovebat, (*f*) vivificabat aquas; quod optime ſupradictos Divini Amoris effectus exprimit. Nam ſi incubabat, jam fœcundabat; (*g*) ſi confovebat, jam manebat; ſi vivificabat jam inflammabat. Completa igitur, & quoad Perſonas, & quoad Perſonarum attributa in ipſa Geneſeos

fron-

(a) *Luc. c. 1. v. 35.* (b) *Luc. c. 3. v. 22.* (c) *Act. Apoſt. c. 2. v. 3.*
(d) *Sir. in Bib. Max. var. vers.* (e) *Ibid. Hier.* (f) *Ibid. Baſil.*
(g) *Menoch. Incubabat aquis: vitali infuſo calore prolificam vim aquis largiebatur. Tyrin. Incubabat aquis non motu locali, ſed voluntate ſua, & potentia divina, qua illas fæcundabat.*

fronte TRINITAS enunciatur. Et recte: nam cum primum sit omnium Mysteriorum, primum etiam debuit revelari.

Gaudeamus igitur in hac tanta Solemnitate, & cum Deum trinum esse viderimus, unum cum Abraham adoremus (*a*): & cum unum esse agnoverimus, ter cum Seraphim Sanctus, Sanctus, Sanctus clamemus (*b*): & Deum Patrem precemur, ut quemadmodum in Filio creavit coelum, & terram, & Spiritu oris sui vivificavit omnia; sic per eundem unigenitum Filium suum cor mundum creet in nobis, & Spiritum rectum innovet in visceribus nostris (*c*), & charitas Dei diffundatur in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum ejus in nobis (*d*), ut Deum unum, & trinum non fide tantum, sed etiam operibus venerantes in terris, facie ad faciem (*e*), sicuti est, videre possimus in coelis.

FINIS.

(a) *Gen.* 18. *v.* 2., & *S. Aug. cont. Man. lib.* 3. *c.* 26. (b) *Isai. c.* 6. *v.* 3., & *Joan. in Ap. c.* 4. *v.* 8. (c) *Ps.* 50. *v.* 12. (d) *ad Rom. c.* 5. *v.* 5. (e) 1. *Cor. c.* 13. *v.* 12. *Joan. Epist.* 1. *c.* 3. *v.* 2.